



Bibl.  
August  
ensem







Bemerkungen über Friedliche  
auf Gezelius.

Gezelius, Joh. G.

*109. VIII. 77.*  
HISTORIA PERBK&VIS,

I.

DE ORTU, PROGRESSU, ET  
EXITU

# AUGUSTANÆ CONFESSIÖNIS.

II.

DE EJUSDEM APOLOGIA

III.

DE ARTICULIS SMALCAL-  
DICIS.

IV.

DE LIBRO INTERIMISTICO.

V.

DE FORMULA CONCORDIÆ.

*Omnibus S. S. Theologiæ STUDIOSIS  
apprimè utilis ac necessaria.*



A B O Æ,

Excusa à JOHANN E WINTER

I. DE PROGRESSU ET  
DE LIBERTATE  
AUGUSTINIANA  
CONFESSIONIS  
II. DE EUDÆM APOLOGIA  
III. DE ARTICULIS SMCALCI  
DI C1S.  
IV. DE USRQ INTRIMISTICQ  
DE TERRIMA CONCORDIA  
COMITATIUS STUDIOSIUS  
TYPGRAPHIA STUDIOSIUS



A. B. O. E.  
EX LIBRIS FONDAZIONE G. M. D'ARCO  
1862

## I.

*De Ortu, Progressu, & Exitu*  
**AUGUSTANÆ CON-**  
**FESSİONIS.**

Um motus Rusticorum in Germaniâ contrâ Magistratus suos, à quibus nimiis angariis & censibus se opprimi causabantur, incrementa passim sumerent, & Turca pariter Christianorum rebus dura minaretur, Carolus V. Imperator Romanorum, inevitabili necessitate adactus, publico diplomate Anno 1630. Bononiâ emisso, principes & ordines imperii *ad comitia Augustæ Vindelicorum celebranda* convocat, ut non tantum de auxiliis contrâ motus Rusticorum & Turcam maturè deliberaretur, verùm etiam ut, compositis dissensionibus in causâ Religionis & fidei Christianæ, litigantes in gratiam redirent. Acceperat recens coronam imperii à Pontifice Clemente VII. Qui omnibus nervis hoc agere videbatur, ut Cæsarem à proposito abdu-

ceret, longè optimum esse dictitans, ab-  
solute imperio & proposito edicto hos  
turbarum fluctus componere, & ad vim  
potius ferrumque decurrere, quam li-  
centiae vulgi, magnatum ambitioni, &  
hæresiarcharum contumacię frenum la-  
xare. Etsi autem his & similibus verbo-  
rum lenociniis talem crudelitatem *Mer-  
trix Babylonica* Cæsari persuadere mo-  
liretur, ille tamen pro ingenii sui nobili-  
tate & pectoris candore, sibi fucum fieri  
à Papâ sentiens, ejus consilium tyran尼-  
cum non acceptavit, id tamen promisit,  
*se usurum remedii severioribus, si leni-  
tate ad gremium Ecclesie Romane non pos-  
set reducere protestantes.* Interim comi-  
tia indicta suum sortiebantur progres-  
sum. Et quoniam cuivis Principi, reli-  
quisque ordinibus injunctum, ut *Confes-  
sionem fidei* secum adferrent, Latinâ &  
Germanicâ lingvâ, Sereniss. *Elector Sa-  
xoniae Johannes*, nomine reliquorum  
Theologis Wittenbergicis injunxit, ut  
certam & cum sacris literis per omnia  
congruentem, prout hactenus in Duca-  
tibus, ditionibus, & urbibus protestan-  
tium

tium fuerat tradita, conscriberent fidei confessionem, eamque Torgaviam mitterent. Jussu ergo & autoritate Collegii Theologici, *D. Lutherus* Synopsin doctrinæ Christianæ septendecim articulis comprehensam concinnavit, ad cuius normam & fundamenta *Philippus Melancht.* cum reliquis Theologis doctrinæ summam in justam confessionem rededit, quam dein Elector Luthero, qui ceu *currus & auriga Israëlis* habebatur, revidendam & calculo suo approbandam tradidit. Ille postquam eam gravi iudicio pensitasset, & approbasset, Protestantum communi suffragio recepta, & subscriptionibus firmata est. Augustam primus omnium venit *Elector Saxonie*, cum *Johanne Friderico filio*, subsequentibus in comitatu reliquo, *Philippo, Johanne Islebio, Georgio Spalatino, J. Jonâ, &c.* Augustani octingentos pedites urbis tuendæ causâ conscripsérant, hos Cæsar exautoravit, substitutis aliis, quos in fidem suam adegerat. Venit autem Cæsar Augustam is Junii, comitante inter alios *Campegio Cardinali*, à Pontifice

cum plenis mandatis misso. Cumque postridiè festum corporis Christi celebrandum esset à Papicolis, statim de concionibus nostratium intermittendis agere ceperunt. Sed hoc non erat ad palatum Principum, qui tamdiu in hac re se difficiles præbuerunt, donec Imperator, qui sine cuiusquam contumelia docerent, constitueret & alterius etiam partis concionatores desistere juberet. In ipsâ autem corporis Christi festivitate cum sacro superstitione interesse principes Protestantes nollent, Legatus Pontificiæ factionis *Campegius*, cum *Vergorio* (qui post noster factus est) & *Vincen-  
tio Pimpinello* svadebant, ut, initio Comitiorum facto, Elector Saxoniæ juberetur Cæsari ad Missam eunti gladium pro more præferre. Vel sic enim adigere eum voluerunt ad ritus pontificios suâ præsentia cohonestandos. Ille *ex-  
empli Naamani*, humeros suo regi ad idolum colendum procedenti, accommodantis confirmatus, officii sui civilis partes subit. Vigesimo die Junii factum est initium in Comitiis. Ibi Fridericus Palati-

nus nonnulla præfatus, moram Cæsaris excusat. & simul causam indicti conventus repetit. Mox negotii religiosi tractatio suscepta, & Confessio nostratum ut 25 Junii exhiberetur & legeretur, obtinenter Elector & Principes Orthodoxi; Solennitati huic Christianissimæ, & electioni articulorum solennissimæ, à *Christiano Bejero*, Electorali Cancellario sonorâ voce factæ, Legatus Pontificius interesse noluit. Interfuit tamen Augustissimus Imperator *Carolus* cum fratre suo *Ferdinando*, & omnibus Electoribus, excepto Palatino. Plurimi item adherant Episcopi, Principes & Civitatum Legati, quorum multi non sinistrè judicarunt de Doctrinâ Protestantium. Et memorabile est, quod *Cardinalis Matthæus Langius*, Episcopus Salisburgensis, ingenuè professus est, *Missa reformationem sibi videri honestam, libertatem ciborum esse Christiano homine dignam, sed non esse tolerabile*, ut misellus *Monachus omnia reformat*. Ecce hominem, contra propriæ conscientiæ dictamen agentem! Post exhibitam confessi-

onem Augustanam, Cæsar omnium ordinum legatos convocat, collaudat eos, qui *decretum Spirense* (quod Anno 1529 sancitum caverat, ne illi, qui doctrinæ genus immutarant, aliquid tentarent, antequam Cæsar adveniret, & Concilium celebraretur, neve de religionis articulis ullibi disputaretur) acceptarant, reliquos hortatur, ne à Sociis suis divortant. Interea Legatus Pontificius omnem movet lapidem, ut Confessio Protestantum traderetur Pontificiis Theologastris, inter quos primam aciem ducebant *Eccius, Faber, Wimpina, Cobleus, Medardus, Nausea*, qui comportato scripto virulento nostram confessionē oppugnare annisi sunt. Confutatio hæc exhibetur Cæsari, qui, idolo Romano nimium indulgens, *sub pœnâ proscriptio-*  
*nis, omnes jubebat parere Religioni Pontificie.* Et certè magna confusio fuisset exorta, nisi tam durum decretum Principum intercessiones mitigassent. Saxoniam Elektor suo & sociorum nomine paratum se dicebat, *omnia ea dimittere, de quibus aliter coargui posset ex sacris literis, &* simul

simul confutationis Pontificiæ exemplar efflagitabat, propterea quod multa ex Protestantium Articulis illi Sophistæ se- cùs recitarent, ut quocunque modo in- vidiam orthodoxis conflarent apud Sta- tus Imperij. Post deliberationem ali- quam annuit Imperator, verùm eâ lege, ne quid contrà disputerent, aut typis evul- gent. Sed hoc non acceptant Protestan- tes. Brevi post Memmingenses, Constan- tienses, Argentinenses, Lindavienses, Do-ctrinæ suæ confessionem seorsim consi- gnata Cæsari exhibent. *Philippus* pro Confessione *Apologiam* comportat, de quâ postea latius dicemus, eaque Cæsari offertur, sed non accipitur. Ut tamen quoquo modo concordiæ operam nava- rent, delecti sunt primò utrinque sep- teni, mox ad ternos numerus coarctatus est, qui de controversiis conferrent. Par- tes Pontificiorum præcipue tuebatur *Eccius*, Nostratium *Philippus*. Ultut au- tem conciliationis viæ in aliis rebus non frustra tentarentur, convenire tamen haud poterant in præcipuis *de missa* & *de votis monasticis*, Articulis. Etsi enim

in multis etiam aliis multa Pontificii improbabant, tolerari tamen posse ad Concilium dicebant: Ideoque Sacerdotibus uxores, qui eas duxerant, concedebant. Nostrates è contra, (quod tamen *Hassiaci, Luneburgenses, & Noribergenses* improbabant) multa admodum de potestate & jurisdictione Episcoporum erant largiti, Cogitabat enim *Philippus*, si ipsis jurisdictione concederetur, fore, ut ipsi vicissim puræ Evangelicæ doctrinæ minus iniqui essent. Sed *non debebat veritas cum errore confundi*, totumq; negotium ad se denuò revocabat Imperator, & Protestantes cùm privatim per interlocutores, tūm publicè ad abdicandas suas in religione opiniones sollicitabat: Cumq; eos in sententiâ perseverare, nec ullis artibus ab incepto dimoveri cerneret, *Decretum Augustanum* fieri curavit, quo omnes Pontificii ritus & omnia Dogmata stabiliebantur, imo imperabantur, ejecti Monachi recipi & in integrum restitui jubebantur, & Confessio Protestantum solide ex verbo divino confutata suisse dicebatur. Sollicitum hoc habuit Ele-

*ctorem*

ctorem Saxonem, præsertim cum minæ interspergerentur, & sollicitationes de Religionis pace frustraneæ essent: Ideo que totam rem Deo commisit, & cum sociis decessit, relictis Augustæ Consiliariis Legatis. Postquam abiissent Protestantes, agi ceptum est de *Bello Turcico*. Decretum quoque Augustanum reliquis civitatum ordinumq; Legatis, qui supererant, prælectum, quod omnes acceptarant, potentibus deliberationem *Franco-furdianis*, *Hallenfibus*, *Ulmensibus*, *Augustanis*. Paulo post in frequenti confessu confutatio *Zwinglianorum confessionis* ab *Hedione* oblatæ recitatur, scriptum valde prolixum, cuius Architecti erant *Eccius* & *Faber*. Nec minimum odium Cæsar conceperat in *Zwingianos*, quod Satanicō furore illaqueati statuas ex Templis deturbarent, & tam impia de S. Cæna docerent. Legati respondebant, multa in hac confutatione ipsis falso affingi, ideoque exemplar unicū deposcabant. Cæsar hoc denegabat, vehementer instans, ut ad Ecclesiam Romanam se applicantes, ad bellum Turcicum

cicum contribuerent. Sed renuebant illi conferre tributum, nisi pax Religioni daretur. *Ulmenses, Francofurtani, Augustani, Hallenses,* decretum Augustanum recipere nolebant, Concilium liberum urgentes, Cæsar nihil æqui respondebat, sed ultimum decretum sanciri curavit, in quo omnes idolomaniaæ Pontificiæ Articuli sunt approbati, & illi, qui repugnarent, vitâ tonisque multari iussi. Hic fuit exitus *Comitiorum Augustanorum*, quorum gesta bonâ fide descripta ex autoribus fide dignis hîc velut in Synopsi, Tibi, Lector Christiane, exponuntur. *Subjiciemus jam Augustanæ Confessionis summariam delineationem.* Articuli Augustanæ Confessionis sunt vel Doctrinales, vel Ceremoniales. Doctrinales continent priores viginti & unum. Ceremoniales, qui de abusibus agunt, septem posteriores. DOCTRINALES sic habent. 1. Quod sint tres Personæ Deitatis in unâ indivisibili essentiâ. Damnantur Manichæi, Arriani, Macedoniani, Photiniani. 2. Infantes nasci peccato originis infectos, & ideo regeneratione indigere.

digere. Contrà *Pelagianos.* 3. Quod Jesus Christus verus Deus verè assumserit humanam naturam, in unitate personæ, & pro nobis passus sit, sepultus, ad cœlos ascenderit, &c. 4. Justificari nos solâ fide propter meritum Christi, sine merito operum. 5. Fidem generari in nobis diligentia auscultatione verbi divini, & Sacramentorum usurpatione. Contrà *Anabaptistas.* 6. Bona opera non facienda, quasi eis cœlum promereri velimus, sed propter voluntatem & mandatum Dei. 7. Ecclesiam sanctam dari & perpetuò mansuram. Notas ejus esse verbi divini sinceram prædicationem, & Sacramentorum dispensationem. 8. In Ecclesia misceri multos hypocritas. Ministerium impiorum ministrorum esse efficax, contra *Donatistas.* 9. Baptismū ad salutem esse necessarium, & per illum nos recipi in fœdus Dei. Contrà *Anabaptistas.* 10. In Cœnâ Domini verè adesse corpus & sanguinem Christi. 11. Confessionem esse quidem retinendam, sed non auricularē eam, in qua omnia delicta enumerantur. 12. Pœnitentiæ esse duas partes., contri-  
tionem

tionem & fidem, eamque lapsis post baptismum non esse denegandam. *Contrà Novatianos.* 13. Sacra menta non conferre ex opere operato, sed præcepta esse à Deo, ad confirmandam fidem nostram. 14. Neminem posse fungi munere Ecclesiastico, nisi ritè vocetur. 15. Ritus Ecclesiasticos, in Verbum Dei non impingentes, debere retineri, *εὐπλοκαῖς* gratiâ. Traditiones humanas esse frivolas. 16. Civilia officia non esse indigna homine Christiano. Licere ergo Magistratum gerere, bella justa suscipere, jurare, fontes plectere, judicia exercere. 17. Consummationem seculi, infernum, vitam æternam esse certò credenda. *Christianarum somnia* esse somnia. 18. Librum arbitrium in spiritualibus esse planè nullum, in civilibus aliquid. *Contrà Pelagianos.* 19. Causam peccati esse nostram voluntatem, non Deum. 20. Non prohibere nostrates bona opera, sed quod ex operibus justificetur homo, negare. 21. Sanctos perperam invocari. *CEREMONIALES* sic habent: 1. Laicis utramq; speciem esse dispensandam in S. Cœnâ.

2. Con-

2. Conjugium Sacerdotibus esse conce-  
dendum. 3. Publicam Missam celebrari  
apud nos. 4. Confessionem auricularem  
esse conscientiæ carnificinam. 5. Vota  
Monastica esse impia. 6. Traditiones de  
discrimine ciborum esse ineptas. 7. Quo-  
usque se extendat potestas Ecclesiastica.

Doctrinales comprehenduntur his ver-  
siculis.

**O**Dit Trinus; peccatum; Christus Jesus  
Justificat; Pastor; salvat opus, quid  
ais?

*Est Ecclesia; Mixta; lavacro pura; Synaxi;  
Cum scelera agnoscit, pœnitet atq; pia:  
Ultitur hæc Sacramentis; Missisq; Ministris;  
Ritus; Civiles res tenet ipsa pias;  
Judicio extremo; Arbitrium; causam sce-  
lerumq;  
Sola Fides prodit; Sancticolasq; simul.*

Ceremoniales his sequentibus versi-  
culis.

**U**Trag; fit species; Pastor Conjugiumq;  
Concessum semper; publica Missa simul;  
Illicita est Confessio; Discrimenq; ciborum;  
Vota; Potestatis mixta opus atq; Papæ.  
Usi-

Uisitatum distichon Ceremonialium  
hoc est.

**V**Traqꝫ Conjugium, Missa, Confessio, Vota,  
Discrimenqꝫ cibi, Juragꝫ Pontificum.

Hæc est sciographica commemoratione  
Articulorum Augustanæ Confessionis,  
libri istius homologetici nostrarum Ec-  
clesiarum, cui subscripserunt *Johannes E-*  
*lect. Sax. Georgius Marchio Brandenburg.*  
*Erneſtus Dux Luneburg. Philippus Land-*  
*grav. Hassiæ, Joh. Fridericus Dux Saxo-*  
*niaæ, Franciscus Dux Luneburg. Wolfgangus*  
*Princeps de Anhalt, Senatus Norim-*  
*berg. Senatus Reutlingenfis.* Calvinia-  
ni, Pontificii, & quicquid uspiam male-  
feriatorum hominum, asseverare non  
reformidant, Religionem nostram esse  
dubiam & incertam, quia Augst. Conf.  
toties sit mutata & innovata. Mutati-  
onem probant ex plurimis editionibus  
à prototypo discrepantibus, quam non  
sine consensu *Lutheri à Philippo* occe-  
ptam, *Pezelius, Wolfius, Hospinianus* ja-  
ctitant. Imò *Sobnus tom. 2. pag. 8.* mu-  
tatam Confessionem ab Autoribus, in  
luce veritatis magis versatis, manasse,  
ait.

ait. Ut his adversariorum sannis & ψευδολογίαις occurratur, notanda sunt duo: 1. Mutatio ipsa. 2. Mutationis causa. I. Mutatio est vel *rерum*, vel *verborum*. Ultramque mutationem passa est August. Confes. Qui enim hoc negare volet, Solem meridie lucere negat, nam testantur id exemplaria in publico Prostantia. Posteriorem demonstrat Exemplar Anno 1541, ubi admodum, & ferè ultra quartam partem, est locupletata Aug. Conf. sed pura tamen est, & dogmata nihil mutans. Priorem de industriâ *Philippus* occipit Anno 1540. edit. Witteb. Et hanc nulla ratione approbamus, sed spuriam censemus, quia neque quoad verba, nec quoad res cum prototypo consentit. *Vide Præfat. ad Lectorem edit. repurg. Anno 1541. Witteb. præfixam.* Hęc nostra est sententia, Exemplar Anno 1530. Carolo Imp. exhibitum esse normam reliquarum editionum, quæ cum illo in doctrinā conveniunt, recipiendas, quæ discrepant, rejiciendas ducimus. II. Causa mutationis itidem duplex est. *Mutationis verborum causa est,*

fusior deduc<sup>tio</sup> & explanatio Articulorum, compendio in protoexemplari positorum, ut etiam rudes sensum perciperent, & Pontificiis præriperetur omnis ansa de obscuritate eam incusandi. Mutationis rerum causæ variæ nobis adfiguntur ab Antagonistis. (1) Inconstantiam doctrinæ nostræ nullibi fixum pedem invenire, ubi consistat. Sed splendidè nugantur Sophistæ tales quia noverunt ipsimet, nos invariata solummodo amplecti Confessionem. Variata omnino arguit incertitudinem dogmatum, invariata non item, sed potius summam constantiam. Replicat H<sup>u</sup>ospinianus, eam autore Philippo, sed conniventibus & urgentibus omnibus Lutheranis, imò ipso Luthero, fuisse concinnatam. At non valet τὸ αὐτὸς ἐφα. Spissum & graphicum hoc est mendacium, in gratiam Religionis Zinglio-Calvinianæ confictum. Annon Elector Saxoniæ per Cancellarium suum D. Pontanum graviter Philippum objurgavit? Annon Wolfgangus Princeps ab Anhalt lubenter voluit de novo A.C. sub scribere, modo invariata esset? Annon longè

longè optimi Principes *Luneburgenses* & Senatus *Noribergenses* solam Augustanam Confes. invariatam retinendam sanxerunt in conventu Naumburgensi A. C. 1561? Hinc *Jesuite in Colloq. Ratisb.* mutationi huic contradixerunt, unde *Philippus* urgente necessitate factum suum retractare, mutata & expuncta emendare coactus est. Quod verò *Lutherus* hac in parte cum *Philippo* colluserit, nunquam probabit *Hospinianus* ex *Theandri* istius monumentis. (2) *Confessionem opus habuisse emendatione propter dogma Transubstantiationis.* Sic *Wolffius*. Nugæ aniles! Ubi enim in invariata C. A. dogma Transubstantiationis vel minimo iota asserit, ostendat hoc, & herbam ei porrigemus. Nullo igitur prætextu palliare possunt adversarii cōmentum illud, cum dicunt Protestantes in eam mutationem consensisse. Namque privato unici *Philippi*, qui in negotio hoc *aliquid humani passus est*, arbitrio omnia ista confecta sunt. Vin causam? Certè ea nulla alia est, quām *clanicularius* favor erga sacramentarie factio-

nis fraterculos, in quorum gratiam talia  
commisit. Hinc *Calvinus Genevensis* in  
defens. secund. cont. *Westph.* disertè ait,  
*se nihil in controversia Sacramentaria dis-*  
*fidere à Philippo.* Quod si Calvinus ja-  
ctans consentum Philippi mentitus fu-  
isset, utique decuisset Philippum non  
post cataracta latere, sed publico scripto  
dissensum suum à Calvino testari, ne Sa-  
cramentarismus, qui sub ejus autoritate  
velut larvâ latebat, indies latius serperet.  
Vide *Theodosium Fabricium* in *Historiâ Sacramentariâ.* Lege præterea Augu-  
stanæ Confes. Historiam authore Chy-  
træo, itemque Historiam August. Conf.  
editam à Theologis, ad eam rem dele-  
ctis, contra adulterinas narrationes Am-  
brosii Wolffii, edition. Lips. 1585. Anno,  
ut & cent. 16. Historiæ Ecclesiasticæ, con-  
tinuatore Osiandro, ubi ab anno in  
annum quid obtigerit, descri-  
ptum reperies.

## II.

# DE APOLOGIA AUGUSTANÆ CONFES- SIONIS.

**F**llerat Confessio Augustana publicè prælecta, ubi Theologi quidam ac Monachi refutationem ejusdem adornare moliti sunt, quam cum Cæs. Majestas curasset, etiam in confessu Principum prælegi, postulavit, ut illi confutationi assentirentur omnes.

Principes autem, quia audierant multos articulos improbatos esse, quos abjicere sine vulnere conscientiæ non poterant, rogaverunt, sibi exhiberi Exemplar confutationis, ut & videre, quid damnarent adversarii, & rationes eorum pensitare possent: Sed non potuerunt id impetrare nostri, nisi periculosisssimis conditionibus, quas recipere consultum non erat. Quia ergo ex nostratis quidam inter prælegendum capita locorum & Argumentorum exceperant, jussérunt Principes Philippum Melanchthonem, & alios quosdam Apologiam confessio-

nis, in quâ exponerentur Cæs. Maj. causæ, quare non reciperen confutacionem nostrates, quâque ea, quæ objec-  
rant adversarii, diluerentur, parare. Hanc  
Cæs. Majest. utut oblata fuit, non rece-  
pit, sed postea editum est decretum  
quoddam, in quo gloriati sunt adversa-  
rii, se nostratum confessionem ex scri-  
pturis confutasse. Inde Philippus Apo-  
logiam hanc publici juris facere com-  
motus fuit, eique inter excudendum  
suum nomen adjecit, ne quis queri pos-  
sit, sine certo Autore librum editum esse.  
Fit autem in eodem progressus secun-  
dū Articulos Confessionis, & quidem i-  
ta, ut plerumque primò sententia ad-  
versariorum reprehensiva de istis Arti-  
culis ponatur; postea nostratum defen-  
siva exponatur; Tandem verò objectio-  
nes Pontificiorum cum solutionibus  
subjiciantur. *Quæ omnia continentur  
in Piâ & unamini Consensu repeti-  
tâ Confessione fidei &  
Doctrinae.*

## III.

# DE ARTICULIS SMAL- CALDICIS.

**P**ontifex Romanus, ubi quis comitiorum Augustanorum exitus fuerat, comperit, literas dat ad Regem Poloniae, & omnino se sperasse ait, fore, ut Cæsaris præsentia Lutheranam hæresin compesceret. Cum autem illos magis obfirmari intelligat, se communicatâ cum Cardinalibus re decrevisse, ut quamprimum Concilium indicatur ad aliquem Italiæ locum. Ideoque se monere Regem, ut cum res eò deducta fuerit, hunc solemnem conventum vel præsentiam propriâ, vel per Legatos cohonestet. *Decretum Augustanum* per Germaniam divul gabatur, cumque adversus Protestantes severæ sententiæ fiscales à Camerâ Spirensi, ex qua omnes Assessores religioni nostræ assentientes excludebantur, dicerentur, ac multi fisco adversus Protestantes experientur, aliis zelum obtendentibus, aliis injuriæ acceptæ vindictam meditantibus, aliis denique innocentum bona invadere cupientibus;

cum quoque Sereniss. Elector Saxo negotio eligendi Ferdinandum in Regem Romanum contradiceret, & hac ratione omnia offenditionibus paterent, Protestantes, quorum jam erant 7. Principes & 24. Civitates, ad vim hostilem, si qua inferretur, propulsandam fædus ineunt, quod vocamus Smalcaldicum. Detrectatum id est à Dano, Megapolitano, Pomerano, Lubecensibus, Luneburgensibus, Noribergensibus, Brandenburgi, Heilbrunnensibus, Campadunensibus. Helvetii non sunt recepti, Anglus & Gallus à Protestantibus per literas compellati aliquid pollicentnr. Cæsar congregatos in hoc conventu urget, ut aliquid ad auxilia paranda contra Turcam conferrent. Nihil impetrat, nisi pacem & securitatem bonorum & religionis ad legitimum usque Concilium polliceatur. Recrudescet bellum inter Tigurinos, Bernates, & Quinquepagicos. Cæduntur Tigurini, inque prælio illo etiam occubuit Ulricus Cinglius. Rebus ita undique turbatis, Cæfare jubente de Concordiæ rationibus actum fuit, ipseq; decreti Augustani vi-

ni vigor, ingruente bello Turcico, paulatim remisit. Et posteà *Svinfurti* coram intercessoribus *Archiepiscopo Moguntino & Palatino Principe* prima pacis religiosæ fundamenta jacta sunt, ut inter Cæsarem, omnesq; imperii ordines Ecclesiasticos & seculares, pax publica sanctaretur, nec quisquam alteri molestiam religionis causâ crearet, usque ad generale, liberum, & Christianum Concilium, cuius maturationem primo quoq; tempore promotorum se promisit Cæsar. Et hęc pax deinde Noribergae promulgabatur, omnesque actiones forenses religionis causâ intentatę suspendebantur. *Turca* jam infestis signis petebat Austriam, cumque nihil adversus castella undique munita & fortiter defensa valeret, rapinis & excursionibus omnia complet, inde opimâ prædâ onustus pedem refert. Cæsar ad *Viennam* impetum ejus operiebatur, sed jam recessisse videns abit *Mantuam*, relicto post se vicario *Ferdinando fratre*. Inde accessit *Bononiam*, acturus cum Pontifice de Cōcilio. Ablegatur ergo ad *Johannem Fridericum Saxonem legatus*

utriusque tam Cæsar, quam Papæ, qui  
mentem Pontificis de Cōcilio in aliquâ  
Italiæ urbe celebrando, aperiant. Ele-  
ctor hoc sibi gratum fore significat, inte-  
rim deliberandi spatum petit. Conve-  
niunt Protestantes *Smalcaldæ*, & Lega-  
tos ad Papam hoc responsi ferre jubent,  
*se omnino desiderare Concilium liberum, in*  
*media Germaniâ celebrandum, ubi legiti-*  
*mè audiantur, & quilibet avo προκή-*  
*ματραρχη judicet.* Ad plures migrabat tum  
*Clemens 7.* Eique in officio surrogabatur  
*Paulus*, homo pessimus, astrologus, & in-  
signis magus. Ille fucum facturus Cæ-  
sari & Principibus revocat ex Germaniâ  
*Vergerium*, cumque Cardinalium non-  
nullis re communicatâ, formulam e-  
mendationis curiæ Romanæ divulgat,  
quæ tamen ipsi minimè erat cordi. *Rex*  
*Gallie* turpiter sævit in Evangelicos, nul-  
lumque non crudelitatis genus in miser-  
ris illis experitur. *Vergerius* denuò in  
Germaniam abit, *Pontificem totum in eo*  
*esse nuncians, ut Concilium celebretur, &*  
*quidem in Italiae urbe Mantuâ, ubi nihil*  
*sit Pericli.* Protestantes abnuebant in-  
ter-

teresse Concilio, nisi celebraretur in aliquo Germaniae loco, eoque tuto. *Rex Angliae Henricus 8.* descivit quidem à Pontifice, sed non à religione Pontificia, mox *Episcopum Roffensem, & Thomam Morum* capite mulctat, quod uterque divortium ejus cum Catharinâ Caroli, cognatâ improbaret, & pro primatu Pontificis decertaret. Circa hæc tempora *Anabaptistæ Monasterienses* Tragediam suam auspicantur, tragicâ Catastrophe, *Pontifex Paulus 3.* postea confirmat ordinem Jesuitarum, qui promachi sunt agilimi Pontificiæ religionis. Cæsar Neapoli Romam reversus vehementer urget Concilium. Papa id promittit, *si nec extra Italiam celebretur, nec iuræ suffragiorum aliis, quam sibi & suis secundum Pontificum decreta tribuantur.* In eam sententiam emittit formulam inductionis. Locus Concilio deligitur Mantua. Formulæ inductionis subscribunt 26 Cardinales. Conveniebant tum Theologi nostri Smalcaldiæ, deliberantes, quid in religionis negotio recipere vel concedere possent, quid non. In eum finem

finem à D. Luthero concepti sunt virgin-  
ti articuli, quorum summa hæc est: (*Ple-  
nius autem exponuntur in præd. Conf.*) (1)  
Unum esse Deum, & tres Persona<sup>e</sup>. Fili-  
um Dei esse verè incarnatum. (2) Chri-  
stum satisfecisse pro nobis. (3) Missam,  
purgatorium, invocationem sanctorum,  
non posse approbari. (4) Collegiorum  
& Cœnobiorum abusum esse tollendū.  
(5) Papam neque divino, neque jure hu-  
mano esse caput Ecclesiæ. (6) Dari pec-  
catum originis, & quomodò liberum ar-  
bitrium sit adhuc liberum. (7) Officium  
legis quotuplex? (8) Quidnam intersit in-  
ter veram pœnitentiam, & inter fictam  
Pontificiorum. (9) Evangelium conso-  
lari nos contra peccata. (10) Baptismo  
ex aquâ & verbo constante nos regene-  
rari. E. & infantes esse baptizandos (11)  
In S. Cœna verè & realiter adesse corpus  
Christi. Transubstantiationem esse nul-  
lam. (12) Claves esse potestates Ecclesiæ  
à Christo, ad ligandum & solvendum  
peccata, datas. (13) Inter confitendum  
enumerationem peccatorum cuique  
esse liberam. (14) Excommunicationem

Eccle-

Ecclesiasticam non esse confundendam cum pœnis civilibus. (15) Nullum posse fungi officio ministri, nisi sit ritè vocatus. (16) Conjugium Sacerdotibus esse concedendum. (17) Eam esse veram Ecclesiam, quæ audit vocem Christi. (18) Bonis operibus neminem justificari (19) Vota monastica pugnare cum S. Scripturâ. (20) Humanas traditiones esse abolendas. Subjungitur tum tractatus de potestate & Primatu pontificis, deque Episcoporum potestate & jurisdictione. Hi sunt articuli Smalcaldici, qui futuro concilio debebant exhiberi. Sed tantum absuit, quod Pontifex Concilio cogendo incumberet, ut illud etiam omnibus modis impediret, ne aut autoritatis suæ detrimentum, aut curiæ commodorum jacturam pateretur. Et per opportuna causâ accidit Papæ odiosum Concilium prorogandi, quod Dux Mantuanus Jurisdictionem urbis suæ Pontifici cedere solebat. Eligit ergo Vicentiam, oppidum ditionis Venetæ. Sed mox insignis ille vertumnus, urbis hujus solitudinem

cau-

causatus, Concilii diem denuò prorogat. Interim cum in cōventu Francofurtano colloquium Theologorum de religione placidum decerneretur, ut periculum fieret, num vel hoc modo extra coactiōnem Concilii res componi posset, nunc tandem seriò de Concilio cogitare cepit Pontifex, veritus, ne colloquium illud suæ causæ damno esset. Vincentiam ergò denuò adjudicat Concilio. Veneti verò eam huic rei non largiuntur. Ferrariam, Bononiam, Placentiam, Tridentum Cæsari nominant. Illi Tridentum placet. Sic tandem, dissentientibus tam Protestantibus, qui nec potestatem indicendi Concilium Papē concedebant, nec locum probabant, Concilium Tridentinum indicitur. Quid autem in tam bello conventu præstitum, alibi edisse ruimus. Et Viri, ad admirationem Theologicè solidè docti, Doctoris Martini Chemnitii examen monstrat.

Articuli Smalcaldici his continentur  
versibus memorialibus:

**P**artibus ecce tribus capita hæc Smalcaldica constant:

Prima notat Trini dogmata sancta Dei:  
Altera dat Christi meritum, junctum quoque Missæ

Sanctorum cultum; Cœnobia, atq; Papam,  
Tertia, peccatum; Legem; lapsusq; dolorem;  
Christi Evangelium; fluminis acta Sacri.  
Post cœnam; Claves; Confessio; Banna;  
Ministri,

Missio; Conjugium; Grexq; pium sequitur.  
Justificatio, opusque bonum; atque mona-  
stica vota.

Majorum tandem tradita dicta notant.

#### IV.

## DE LIBRO INTERI- MISTICO.

**D**urante adhuc, interrupto tamen  
Concilio Tridentino, Carolus V.  
Cæsar Theologos quosdam certos  
ad conscribendum librum quendam,  
pro conciliandis Pontificiorum cum Lu-  
theranorum Doctrinæ Capitibus, Inter-  
im dictum, deputavit, eosque Julium  
Pflugium, Episcopum Naumburgicūm,  
medium inter Pontificiorum & Luthe-  
rano-

rancorum doctrinam, Michaelem Sidoni-  
um, acerrimum Pontificium, & Johan-  
nem Islebium Agricolam, Evangelicum  
apud Electorem Brandenburgicum con-  
stituit. Constitit autem liber iste se-  
quentibus titulis: (*qui hic integri appo-  
nuntur.*)

### *I. De Conditione Hominis ante lapsum.*

**Q**uem Articulum ita absolverunt,  
ut statuerint, Deum i. creasse ho-  
minem ad sui imaginem, quę fuerit con-  
creata gratia & justitia originalis, seu o-  
mnium virium integritas, ac totius na-  
turæ rectitudo. Habuisse etiam 2. ho-  
minem liberum arbitrium, tam ad bo-  
num, quam ad malum. Et 3. hæc omnia  
bona propagari potuisse, si homo in  
concreatâ integritate stetisset. In hoc  
capite nihil fuit ab Orthodoxiâ disces-  
sum.

### *II. De Conditione Hominis lapsi.*

**H**ic peccatum, in pœnam subsecu-  
tum lapsum primi hominis, posue-  
runt, i. non solum Privationem, seu ca-  
rentiam justitiae originalis, sed & positi-  
vam

vam qualitatem, quæ sit vitiosus concupiscentiæ habitus, perpetuò Legi Dei, Spiritui, & superioribus animi viribus & facultatibus repugnans, hocque idem naturali propagatione in posteros derivari. Influxisse 2. etiam hoc peccatum Naturæ humanæ vulnus, ut animalis homo non percipiat, quæ sunt Spiritus Dei, ex 1. Cor. 2. & Roman. 5. Concesserunt 3. etiam homini tali lapso libertatem arbitrii, infirmam quidem & læsam, quæ sit fons & origo Virtutum moralium Ethnicorum, & harum actionum: quamvis tamen de non renato statuant, quod sit servus peccati, Satanæ mancipium & inimicus Dei. Adhærere insuper 4. huic depravationi originali, tanquam necessarium consequens, reatum, non solùm omnis generis malorum, miseriарum & calamitatum & mortis temporalis, sed etiam damnationis æternæ.

Hic Autores Interimistici in hoc sunt redarguendi, quod (1) Corruptionem hanc *Vulnus* tantum dixerint naturæ nostræ, & quod (2) libertatem Arbitrii concesserint, quamvis infirmam &

**I**æsam, contra Eph. 2. homines mortuos esse delictis & peccatis. Homo enim mortuus non habet liberum arbitrium, nec infirmum, nec læsum quidem ad spiritualia.

*III. De Redemptione per Christum Domum nostrum.*

**D**ocuerunt, lapsum hominem, atque æternâ morte reum factum, ut Deus rursum liberaret, atque à morte redimeret, filium suum misisse, atque ita eundē propter filium, peccata in se suscipientem, proque illis satisfacentem, absolvere ac sibi reconciliare, idque per non imputationem peccatorum. Fieri autem hoc omne non sine λύτρῳ, quamvis gratis, sed pretio, Filii sui sanguine constituto, ut nos (juxta illorum verba) ē vulneribus ipsius, quod nobis miseris deesset, redemptionis premium mutuari, & ad liberationem salutemque nostram usurpare possemus.

Quamvis hic toti Evangelici apparent, tamen latet anguis in herbâ, & quidem in verbis illis: Ut nos ē vulneribus ipsius. &c. Nam quid sibi illis velint, in sequen-

sequentibus de Justificatione Capitibus cognoscimus.

*IV. De Justificatione.*

**D**ocuerunt i. Hominem redemptione Christi & Applicatione ejusdem meriti justificari, atque ita ex injusto justum pronunciari. Justificationem 2. hanc fieri, non condonatione. (1) tantum peccati, neque (2) solum absolutione rei, sed etiam (3) melioratione, charitate infusa, seu inhærente justitiâ. 3. Nec verò hanc justitiam esse in hac vitâ perfectam, cum caro resistat Spiritui. 4. Quemadmodum efficiatur illa justitia, ita & restaurari id, quod deficit, abundantiam meriti Christi ejusdemque perfectione. Atque ita hic concurrere 5. meritum Christi, justitiam inhærentem, renovationem & charitatem infusam.

In quibus thesibus magna confusio reperitur. 1. De fide enim silentium est. 2. Confunduntur remissio peccatorum & renovatio, quæ sunt diversa. 3. Inhærens justitiâ, quæ nos justificet, in sacris nulla offenditur.

*V. De Utilitate & fructibus Justificationis.*

**F**RUCTUM justificationis statuerunt duplarem: (1) Alterum quidem, Reconciliationem Dei: (2) Alterum, Vitæ æternæ hæreditatem.

(Nullam adhuc dum fidei mentionem fecerunt.)

*VI. De Modo, per quem homo justificationem accipit.*

**M**ODUM Justificationis constituerunt  
1. in præveniente Gratiâ. 2. In Con-  
tritione. 3. In fide, tali tamen, quæ præ-  
ter spem meritorum confidat miseri-  
cordiæ Dei, ut ita hic modus nihil aliud  
sit juxta illos, quam ipsa inhærens Justi-  
tia, indissolubiliter constans fide, spe &  
charitate.

(Hic pervertunt (1) Statum Controver-  
siæ, in Articulo de justificatione; Abu-  
tentestes (2) simul Vocabulis Justificatio-  
nis & Justitiæ. Quin & (3) non distin-  
guunt inter fidem justificantem, justifi-  
cationem & spem. Cum quæstio non sit,  
1. An justificandi fide debeant agnoscere  
& detestari peccata? nec 2. An fide jam  
justi-

justificati accipiant Spiritum S. qui efficiat in illis Charitatem & Spem? Sed 3. quomodo peccator, cognoscens peccata, consequatur remissionem peccatorum, & fiat hæres Dei & Cohæres Christi?

*VII. De Charitate & bonis operibus.*

**S**TATUERUIT de charitate; 1. Eam justificationem ingredi: ubi per charitatem simul intellexerunt bona opera, ex Charitate promanantia. Absque quâ 2. si fides sit, nihilominus tamen eam veram fidem esse. Ex hac etiam 3. manantia Bona Opera ad Salutem cujusque justificati tām necessaria esse, ut, qui ea non fecerit, continuò gratiam Dei amittat, & tanquam palmes inutilis exscindatur à Christo, & in ignem projiciatur. Supra hanc verò 4. Opera etiam non mandata in præceptis Dei, nihilominus commendari à Spiritu Sancto. Et hæcce vocari superaddita, seu supererogationis.

**Q**ui omnes crassi sunt errores. Quoad 1. adversantur Paulo. B.O. prorsus exclusi denti ab actu justificationis. Quoad 2. Distinctionem tollunt inter fidem ju-

stificantem & historicam. Quoad 3. Consolationem omnem adimunt Conscientiis, quæ sentiunt, se non continuò bona opera facere, Rom. 7. Quoad 4. Contradicunt expressè Christo, Matth. 15. Frustra me colunt: & Paulo, Col. 2.

### *IIX. De Fiduciâ Remissionis Peccatorum*

**D**E hac consignarunt:  $\pi\lambda\eta\rho\phi\rho\iota\alpha\nu$   
non consistere posse, quia homines  
securos reddat, neque tamen prorsus e-  
tiam desperandum esse. Hucque ap-  
plicaverunt Pauli illud: se quidem nullus  
peccati conscius, sed in hoc tamen  
non justificatum esse. Ita hominem non  
posse sine dubitatione propriæ infirmi-  
tatis, aut indispositionis credere, sibi pec-  
cata remissa esse.

Contra sensum verò Paulinum alle-  
garunt dictum ejus ex I. Cor. 4. Etsi e-  
nimir Paulus non justificatus erat in hoc,  
quod nullius sceleris sibi conscius erat,  
tamen in hoc justificatus fuit, quod in  
Christum credidit. Quàm verò certus  
Paulus de salute suâ fuerit, patet ex  
Rom. 8.

## IX. De Ecclesiâ.

**D**ocuerunt, eam esse (1) universalem,  
unicam, sanctam & immaculatam,  
eamque definiverunt, quod sit domus  
Deiviventis, & corpus illud, cuius Caput  
Christus. (2) Extra hanc etiam nullam sa-  
lutem contingere hominibus. Esse e-  
tiam (3) hanc non solum invibilem re-  
spectu Sanctorum tantum, sed & visibi-  
lem respectu mixtorum. Pertinere verò  
(4) ad eandem i. Episcopos & alios Mini-  
stros, 2. Verbum Dei, 3. Sacra menta, 4.  
Claves, 5. Excommunicationem, 6. Or-  
dinationem, 7. Vocationem, 8. Jus san-  
ciendi Canones. Admixtos esse (5) In-  
super in Ecclesiâ Sanctis impios, veris piis  
hypocritas. Alienissimos autem ab ea-  
dem esse omnes Schismaticos, hæreti-  
cos & à fide Christianâ desciscentes, tan-  
quam membra à toto Ecclesiæ corpore  
abscissa.

In quo quidem Capite eti in multis  
Orthodoxi videantur, tamen in hoc val-  
dè ambigi sunt, quod ad Ecclesiam per-  
tinere dicant (1) Episcopos, sc. mitra-  
tos Pontificios, qui tamen non magis

pertinent ad Ecclesiam, quām olim Pharisæi & Scribæ. non verò Evangelicos Superintendentes, Pastores &c. (2) Jus faciendi Canones sc. de falsis dogmatibus obtrudendis, & libertate Christianâ eripiendâ Ecclesiæ.

*X. De Notis & Signis Ecclesiæ veræ.*

**N**otas Ecclesiæ quatuor constituerunt:

1. Sanam Doctrinam.
2. Legitimam Sacramentorum administrationem.
3. Unitatem, id est, non solum consensum mutuum, sed & professionem.
4. τὸ καθόλος universalis ut Ecclesia sit, per omnia loca & tempora diffusa, & per Apostolos eorumque Successores usque ad nunc propagata.

Ad has notas si examinaremus Religionem Pontificiam, ne unicam quidem illi competere reperiremus, dum quoad 1. tota Evangelii doctrina apud illos corrupta est, & præter substantiale Baptismi nihil immutatum & immutilatum mansit, non secus ac in Judaismo Circumcisio. Quoad 2. neque & hanc istis convenire, ex mutilatione Cœnæ, & transfiguratione ejusdem in sacrificium, satis liquidò patescat. Quoad 3.

ad 3. Si de Ecclesiâ invisibili sumatur, omnino conceditur. Quod si verò de visibili accipiatur, negatur, cum etiam in hâc interdum sint Schismata. Quinimò & sic ipsis Pontificiis Unitas illa non competit, ut patet ex dissensionibus multis inter ipsos Pontificios & Scholasticos Dd. Quoad 4. Neque hanc veram notam Ecclesiæ esse, probatur, quia non incurrit in sensus, cum illa universalitas intelligenda sit de Ecclesiâ, quatenus invisibilis. Quod si verò de visibili interpretentur, falso, ad se propagatam fuisse Apostolorum Doctrinam, Pontificii vociferantur, id quod constat ex constitutione capituli Ecclesiæ Pontificis Romani, Invocatione Sanctorum, Cultu Imaginum, Mutilatione Cœnæ Dominicæ &c.

#### XI. De Authoritate & Potestate Ecclesiæ.

**H**oc in loco diversa decreverunt. Primò quidem, penes Ecclesiam esse Authoritatem discernendi Scripturas veras ab adulterinis: Scripta Apostolica genuina à supposititiis. Secundò Potestatem habere Ecclesiam interpretandi Scripturas, exque illis elicere & explorare

re dogmata, duce Spiritu S. in omnem  
veritatem, quem adjunctum habeat.  
Tertio, eandem habere traditiones, à  
Christo & Apostolis per manus Episco-  
porū ad hæc usq; tempora delatas, quas  
qui convellat, eum negare, eandem co-  
lumnam esse & firmamentum veritatis,  
cujus generis esse baptismum parvulo-  
rum & alia. Quartò, Ejusdem etiam esse,  
coercere atque excommunicare. Quin-  
tò, Potestatem item habere jura dicen-  
di. Sextò, Judicandi & decernendi in  
quæstionibus dubiis, idq; per Synodum,  
exemplo Concilii Hierosolymitani. A-  
ctor. 15. Et Septimò, Canones constitu-  
endi, exemplo itidem Concilii ejus-  
dem.

In quibus cunctis thesibus accurata  
adhibenda limitatio, & quidem 1. Incum-  
bit Ecclesiæ potestas discernendi Scriptu-  
ras, non vero scripta supposititia pro le-  
gitimis obtrudendi. 2. Conceditur Eccle-  
siæ interpretatio, si non circa tramites  
aberret, sed si (1) obscuriora loca per  
clariora interpretetur, & (2) veram sen-  
tentiam ex contextu eliciat, & (3) fidei a-

nalo-

nalogia sit, neque (4) in Articulum fidei aut præceptum Dei impingat. 3. Nullas traditiones ostendere possunt, neque potuerunt, quæ à Christo & Apostolis in Ecclesiam inventæ fuerint. Neque verò baptismus est traditio non scripta, sed Joh.3. 1.Cor.1.& Act.16. firmiter fundata. Quæ verò illæ alia sint, desideramus. 4. Conceditur Ecclesiæ veræ, non Romanae, Antichristianæ. 5. Affirmatur de Controversiis Jurisdictionibus Episcoporum, non verò de causis merè politicis. 6. Aff. Si Synodus secundùm verbum Dei pronunciet, si fecus, minimè. 7. Falsò allegatur Concilium Hierosolymitanum, cum (1) Scortationis prohibitio, non fuerit Novi Canonis Sanctio, sed præcepti divini repetitio. Dehortatio (2) de abstinentia idolothytis erat primi præcepti, de cavendâ idololatriâ repetitio. Prohibitio item (3) e fuscis sanguinis & carnis suffocatæ fuit temporaria.

### XII. De ministris Ecclesiæ.

**I**N hoc capite docuerunt i habere Ecclesiam doctrinam divinitus traditam,

Sacra

*Sacra item & externa*, piè & utiliter ad utilitatem Christianorum tractanda atq;  
explicanda. Munera etiam 2. Ecclesi-  
stica, Spirituale sc. Sacerdotium respici-  
entia, omnibus quidem Christianis esse  
communia. Functionem autem 3. ho-  
rum munerum, ad externum & ministe-  
riale Sacerdotium pertinentem, non o-  
mnibus, sed certis, atque iis tantum, qui  
ad hoc vocati atque *ritè ordinati* sunt,  
competere.

Fucum autem faciunt non solùm (1)  
sub verbis: *Sacra & Externa*, cùm per illa  
intelligent, præter Sacramentorum ad-  
ministrationem, etiam omnes supersti-  
tiosas Pontificias ceremonias, sed etiam  
(2) in verbis *Ritè ordinati*, quibus Sa-  
cerdotes Pontificios, Evangelicæ doctri-  
næ conjuratos hostes, Ecclesiæ obtrudere  
voluerunt.

### XIII. De Pontifice Summo, & Episcopis.

**E**cclasiam hîc 1. asseruerunt unūCor-  
pus unius (Christi) Capitis, eamque  
multos habere Episcopos, populum ju-  
re divino regentes. Nihilominus ta-  
men

men 2. in remedium Schismatis unum summum Pontificem pro prærogativâ Petro concessâ, his verbis: Pasce oves meas, assignarunt. Qua tamen 3. potestate non ad destructionem, sed ad ædificationem uti debeat. Hanc autem plenitudinem potestatis sic *videri*. Christum 4. Petro ejusque Successoribus concessisse, ut reliquis Episcopis partem sollicitudinis ejus Commissæ non abstulerit.

Falsissimum verò hîc est, quod de summo Pontifice blaterant, (1) ex Luc. 22. Vos autem non sic. Ad hæc (2) Mandatum, Petro datum, continebat restitucionem ejusdem in Apostolatum, quo abnegatione suâ exciderat, Consule locum nostrum de Pontifice Romano.

#### XIV. De Sacramentis in Genere.

**S**Acramenta 1. numero *paucissima* à Christo instituta esse, eaque esse (1) Baptismum. (2) Confirmationem, (3) Eucharistian, (4) Pœnitentiam, (5) Extremam unctionem, (6) Ordinem, & (7) Matrimonium. Instituta autem 2. ob duas Causas finales, ut (1) non solum sint notæ Ecclesiæ, sed etiam (2) sanctificant & con-

& conferant invisibilem Dei gratiam.  
Posse etiam 3. ea ab infideli Ministro ad-  
ministrari, docuerunt.

Contradicunt sibi Interimistæ, dum 1.  
Sacramenta vocant numero *paucissima*,  
& tamen numerant septem, cum potius  
numerus septenarius multitudinis sit &  
perfectionis. Neque 2. Definitio Interi-  
mistica convenit omnibus eorum Sacra-  
mentis, ut sanctificare, gratiam confer-  
re, Ordini Sacerdotali & Matrimonio  
nunquam competit ex se se, ut seipsis.

#### XV. *De Baptismo.*

**H**ujus posuerunt 1. finem, ut sit lava-  
crum regenerationis, ad salutem &  
spiritualem vitam summè necessarium.  
2. Effecta ablutionem, sanctificationem,  
justificationem, peccatorum remissio-  
nem, Christi induitionem. 3. Materiam,  
Verbum & aquam. 4. Formam: Fiat in  
Nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-  
cti. Atque his verbis *fidem Adulorum:*  
Pro infantibus verò fidem eos suscipien-  
tium, & totius Ecclesiæ, verbum item  
fungentis ministri initi. 5. Causam mi-  
nisterialem, quæ non solùm Sacerdotes  
sin-

sinceri, sed & Laici in casu necessitatis,  
& hæreticus esse possint, si tamen debitâ  
formâ, materiâ & intentione utantur.  
Deniq; 6. tollere statuerunt omnem re-  
atum, remainere tamen concupiscenti-  
am, quæ contra Spiritum pugnet, contra  
cujus concupiscentiæ omnem vim vir-  
tute Baptismi per Spiritum Sanctum ita  
mundemur ut resistere ei ac prævalere  
possimus.

Observandum hîc venit, 1. quod Inter-  
rimistæ, hac in parte, ad castra Calvinia-  
norum & Anabaptistarum abeant, dum  
infantes non in propriam fidem bapti-  
zent, sentientes scilicet, eosdem ante u-  
sum rationis, non habere fidem. Quan-  
do 2. Virtutem Baptismi non in solâ ma-  
teriâ & formâ, sed etiam Intentione ba-  
prizantis constituunt, eo ipso baptizatos  
virtutis ac efficacia baptismi incertos  
reddunt. Quod & 3. dicant, nos Virtute  
baptismi per Spiritum Sanctum contra  
*omnem concupiscentiæ vim muniri*, ut re-  
sistere ei atque prævalere possimus, id  
contra Paulum est, nos non semper in  
pugnâ contra concupiscentiam esse su-  
periores afferentem.

## XIV. De Confirmatione.

**C**onfirmationem esse Sacramentum dixerunt 1. Institutum, ut homo jam Regeneratus in bono confirmetur, & hanc esse 2. ab Apostolis celebratam, per impositionem manuum in Samaritanos. Habere etiam 3. Promissionem Christi, de gratiâ Spiritus Sancti, hujusque missione. Factam autem esse 4. initio quidem impositione manuum, postea autem ab Ecclesiâ ex traditione Apostolorum, per superadditum Chrisma & signum Crucis; Quâ 5. regenerati septiformem Spiritum Sanctum accipiunt. Finem verò 6. ejus esse, ut baptizati infantes, jam adulti facti, professionem suam ore dicant, quamvis & parvuli ex promissione Christi non repellendi ab eâ. Non tamen 7. nisi Episcopum hoc Sacramentum administrare debere, idque ex totius Ecclesiæ Catholicæ consensu & Apostolorum praxi.

Quæ omnia de Sacramento Confirmationis exposita, Scipioni arundineo innituntur. Dum 1. Apostoli Samaritanis per impositionem manuum admiranda

randa Spiritus Sancti dona (quale est do-  
num lingvarum) contulerint, quod Con-  
firmationi Pontificie prorsus denegatur.  
Promissio Christi 2. Spiritus S. missionem  
in Festo Pentecostes praestitam respexe-  
rit. Spiritus Sancti septiformis gratia  
3. non per confirmationem, sed per ba-  
ptismum concedatur. Ex Apostolorum  
autem 4. traditione profectam esse, pror-  
sus inficiemur. Vide sis Locum de Sacra-  
mentis in Genere.

### XVII. De Sacramento Pœnitentiae.

Sacramentum, uti vocant, Pœnitentia,  
constare statuerunt 1. Absolutione  
Sacerdotis, instituto & verbo Christi in-  
nitente, per quod quatenus 2. Sacerdoti  
utriusque clavis potestas concedatur, ea-  
tenus eundem *videri* potestatem *judi-  
candi* accipere. Tale autem judicium  
non 3. aliunde hauriri posse, quam ex  
confessione oris, & peccatorum enumera-  
tione. Atque ita 4. quatenus ad remis-  
sionem peccatorum Pœnitentia, eatenus  
etiam Confessionem pœnitentis, cum e-  
numeratione peccatorum nobis com-  
mendatam *videri*. Satisfactionem simul

5. quæ etsi quoad culpam & æternam  
pœnam, Soli Christo tribuenda, tamen  
quoad in pœnitentiæ fructibus consistat,  
temporalem pœnam vel tollere, vel mi-  
tigare. Formam denique 6. Absolven-  
tis confitentem meritò Christi funda-  
tam esse debere.

At ecce fundamento admodum are-  
noso, vel etiam palustri superstructam  
**Confessionem Auricularem**, seu Enume-  
rationem omnium peccatorum Interi-  
misticam, videlicet 1. *duplici videtur*,  
quod facile solvimus per *Non videtur*.  
Neque etiam Sacerdos judicare 2. potest  
ex **Confessione oris**, de concedendâ, vel  
non concedendâ absolutione confiten-  
ti, cum hoc judicium solum Deus καρ-  
διογράφης sibi reservârit. Præterea cer-  
tum quidem est 3. pœnitentibus verè De-  
um mitigare pœnas vel tollere, exem-  
pto Ninivitatum, sed minimè per Satis-  
factiones Pontificias.

#### XIX. De Sacramento Eucharistia.

**D**E hoc Sacramento docuerunt, esse  
1. à Christo institutum, sub visibili-  
bus speciebus panis & vini, verum Chri-  
sti cor-

sti Corpus & Sangvinem præbentibus.  
 Hocque spirituali cibo 2. Christo nos uniiri. Formam autem 3. hujus Sacra-  
 menti consistere in Verbis illis: Hoc est  
 corpus meum, Hic calix est N. T. in san-  
 gvine meo. Iisdemq; 4. recitatis trans-  
 mutationem fieri substantiæ Panis & Vi-  
 ni in verum Christi Corpus & Sangvi-  
 nem, quod negantem, omnipotentiam  
 Christo denegare. Sumi autem 5. indi-  
 gné ab iis, qui vel (1) aliter de eo senti-  
 ant, ac oportet; vel (2) non verè resi-  
 pificant: juxta Augustini illud: Mutet vi-  
 tam, qui vult accipere vitam, nam si non  
 mutet vitam, ad judicium accipiet vi-  
 tam. Proinde 6. neminem admitti, nisi  
 Pœnitentiæ Sacramento repurgatum.  
 Quem & 7. uberrimam consolationem  
 exinde haurire.

Ubi cum multa Scripturæ Sacræ con-  
 fona habeantur, tamen Pontifícia Trans-  
 substantiatio, ab Interimistis impostori-  
 bus Transmutatio insignita, admitti mi-  
 nimè potest, non enim Corpus Christi &  
 Sangvis conficiuntur ex Substantiâ Panis  
 & Vini. Vide Locum de Cœnâ.

XIX. *De Sacra Unctione.*

**H**anc institutam esse 1. dixerunt in subsidium peculiare homini ægroti, ut vel corpori ipsius subveniri, vel anima contra ignita Satanæ Tela muniri possit. Hanc etiam 2. exercuisse Apostolos Marc. 1. 6. Eamque 3. non fuisse medicinalem, vel corporalem, sed mysticam & Sacramentalem. Fundatam 4. Jac. 5. Infirmitur quis in vobis. &c. Quam qui contemnat, quod 5. is ipsum Christum & gratiam, illâ quodammodo collatam, aspernari *videatur*. Non verò 6. in omnibus, sed in periculosissimis, & vitæ interitum minantibus infirmitatibus duntaxat adhibendam esse.

Nugantur hîc 1. Sophistæ, infringentes tempore Christi & Apostolorum ægrotos oleo inunctos, tantùm, ut sanitatem corporis adipiscerentur, cum contrarium probet Marc. 1. 6. quò item illud Jacobi respicit. Præterea 2. ipsa Interimistarum conscientia titubavit, id quod verbis *quodammodo* & *videtur* sat prodiderunt.

## XX. De Sacramento Ordinis.

**D**E hoc docuerunt, 1. Christianos quidem omnes esse Sacerdotes spirituales, quosdam tamen saltem certos jam inde ab ortu Ecclesiæ constitutos fuisse in Verbi Ministros. Esse verò 2. institutum hoc Sacramentum ordinis à (1) Deo, cum signo (2) impositionis manuum, & (3) aliis huic Sacramento congruentibus ritibus. Quo consecrati 3. accipient gratiam, quâ ad ministerium apti, habiles, atque idonei reddantur, ex (1) 1. Tim. 4. Noli negligere gratiam &c. (2) Joh. 20. Sicut misit &c. (3) Marc. 16. Euntes in mundum &c. (4) Matth. 28. Euntes, docete &c. (5) Luc. 22. *Hoc facite in mei commemorationem.* Hancq; Ordinationem 4. ab Episcopis in Ecclesia perpetuâ successione existentibus instituendam esse. Potestatē autem 5. ministerii esse duplicem: (1) Alteram ordinis, complectentem Ministerium Verbi, Administrationem Sacramentorum, & Ordinationem: (2) Alteram Jurisdictionis, continentem potestatem excommunicandi, pœnitentes absolvendi. Ordines denique 6. esse septem:

Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum Acolutorum, Lectorum, Exorcistarum, Ostiariorum.

Notandum autem hic sub iis verbis: *Et aliis huic &c.* subdolè vesanam unctionē Sacerdotum latitare. 2 Sub verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, absconditam esse ceremoniam impiā, quā novo Sacerdoti tradunt calicem, & unā jacent, se dare illi potestatem sacrificandi pro vivis & mortuis, i.e. Missas celebrādi. 3. Eos tantūm Pontificiis Episcopis potestatem ordinandi tribuere, à quibus tamen nullus sincerus Doctor admittatur. 4. Per ordinationem conferri ajunt aptitudinem, habilitatem, idoneitatem, paliā reclamante experientiā. 5. Distinctio Ordinis & Jurisdictionis, malè confunditur. 6. Numerus ordinum septenarius est adulterinus. Cūm Acolutorum, Exorcistarum & Ostiariorum hodiè nullus sit usus in Ecclesiā.

#### *XXI. De Sacramento Matrimonij.*

**S**TATUERUNT 1. Matrimonium Conjunctionem esse arctissimam unius Maris & Fœminæ. Nihilominus tamen ab hac 1. insti-

institutione tum Polygamiam Patrum,  
tum eorum Repudium degenerasse; illā  
quidem ex permisso Dei adumbratione  
mysterii, Ecclesiæ tām ex Synagogā, quā  
gentibus colligendæ: Hoc vero ex con-  
cesso Moysis ob duritiem cordis eorum.  
Esse autem idem hoc 3. instauratum per  
Christum & Apostolum, & in unius ma-  
ris & unius Fœminæ conjunctionem re-  
stitutum; Ut ita duæ 3. sint Matrimonii  
conditiones singulares: (1) Altera, ut sit  
duorum tantum, non etiam tertii alicui-  
jus intervenientis: (2) Altera, vinculi con-  
jugalis etiam *quoad divortium* indissolu-  
bilitas, atque sic divortium à Christo in-  
snuatum saltem separationem à thoro  
& mensâ respicere, non verò totalem di-  
missionem. Neq; verò 4. Matriorium  
esse tantum Conjunctionem, sed & Sa-  
cramentum, quia sit adumbratio spiritu-  
alis conjunctionis & dilectionis Christi &  
Ecclesiæ. Finem insuper Matrimonii esse  
5. non solum procreationem prolis, sed  
etiam, juxta Paulum, fornicationis evita-  
tionem. Quare etiam 6. legitimus con-  
gressus eis non imputetur ad culpam, sed

& 7. Christianus vi hujus matrimonii uxorem gentilem sanctificet, & sanctos ex eâ liberos procreet. Mulier item 8. fidelis salva fiat pariendo. Unde meritò damnari 9. Manichæos, Tatjanos & Encratitas, ob reprehensum conjugium. Tandem statuerunt Matrimonia 10. liberorum, etiam absq; consensu Parentum contracta, rata tamen habenda, animadversionem tamen horum in illos vel derogatione, vel diminutione dotis, vel aliâ viâ Magistratui decernendam incumbere.

Multa hîc bona intermiscûre malis. Quorum hęc quidem sunt: 1. Admissio adulterio divorcium fieri nequire, nisi ad thorum usq; & mensam, contra promulgatum Christi, Matt. 19. 2. Matrimonium Sacramentum esse, propriè sc. sic dictum namq; sic (1) aut Ethnici infideles usi fuissent Sacramento Christianorum, aut inter eos conjugium nullum fuisset. Ne dicam (2) Sacramentum propriè esse signū externum annexam habens promissionē de remissione peccatorū. 3. Matrimonia contra Parentū consensum imprudenter contracta nihilominus, non esse irrita, sed indissolubilia, cōtra quartū pręceptū.

XXII. *De Sacrificio Missæ.*

**D**E hocce quædam mira & varia positiuri, discursum formârunt 1. talem: Religionem à jure Gentium introductam, simul ceremonias secum adduxisse, atque in illis, ut præcipuam oblationem, cum firmâ apud omnes omnium seculorum gentes existimatione, soli Deo deberi. Pro probatione autem 2. antiquitatis hujus cultus adduxerunt sacrificia Cainis & Abelis. Esse etiam hunc sacrificandi ritum 3. ab ipso Deo propter salutem hominum institutum, in suo ipsius filio singulare sacrificium pro totius mundi peccatis offerente. Cujus unicæ Oblationis Virtus 4. in omnes omnium hominum ætates se exerat. Ut verò de eâdem omnes participarent, Deum ab initiomundi 5. sub lege (1) Naturæ, divinâ inspiratione in animis hominum sacrificandi ritum excitasse, & mox datâ(2) lege diversa sacrificia monstrasse, non in reconciliationem eorum cum Deo, sed in memoriam futuri sacrificii, & ejusdē fructus per fidem applicationem. Quamobrem 6. nullum sive sub Natu-

ræ, sive sub Mosis Lege sacrificium per se Deo placuisse, sed quatenus hæc visibilia invisibilis Sacra menta fuerint, inq; fide oblata. Et ut ratio sacrificiorum disertè intelligeretur, unicum 7. esse Sacrificium meritorium, cuius fructum cætera credentibus applicent. Hujuscemodi autem applicatoria Sacrificia 8. esse quedam omnibus legibus communia: utpote (1) cordis contriti & humiliati Spiritus. (2) Carnis afflictiones ob pietatem, (3) laborum, (4) precum, (5) Gratiarum actionis & laudis & cætera. Quædam unius cuiusque legis propria, & certis hominum officiis alligata, i. e.g. 13. 2. Par. 26. Hisce Sacrificiis nec ullam legem 9. nec ullam Religionem caruisse, cum Lex, Sacerdotium, & Sacrificium, necessariò invicem se consequantur, ea que Gentes, ad modum Patrum, imitatos fuissent, ad Deum vel putatum, vel fictum placandum. His vero 10. insuper accessisse legem Mosis, Legem naturæ, non tollentem quidem, sed tamen meliorantem, oblationes externas, tum Christi Sacrificium præfigurantes, tum beneficiorum memoriam recom-

recomendantes, externas instituendo. Ita tādem & Christum n. qui non solverit legem, vel naturalem, vel moralem, sed eam potius adimpleverit, novam à se juxta Jer. 32. introductam legem peculiari Sacrificio & Sacerdotio pariter instituisse, juxta Ebr. 5. & 7. Sacrificium autem tale n. esse *Sacramentum Corporis & Sanguinis sui*, ut illud non solum (1) à fidelibus velut animæ salutare alimentum, sumeretur, sub verbis illis: Accipite, & Comedite; sed ut etiam (2) in memoriam passionis suæ offerretur: cuius oblationis ministerium Apostolis, velut novæ Legis Sacerdotibus, hisce verbis concre-diderit: Hoc facite in mei commemora-tionem. Atque hanc esse mundam & sa-lutarem illam oblationem (uti vocarūt) 13. *Remunerativam*, quam distinxerunt, (1) in cruentam & passibilem, & in incru-entam & impassibilem. Quarum hanc 14. hodie num fieri, non ut illa nunc demū remissionem peccatorum & salutem no-bis mereatur, sed in ejusdem per fidem applicationem, mortisque Christi recor-dationem. Pro quâ demonstrandâ 15. ad-duxe-

duxerunt locum Mal. 1. Non est mihi  
voluntas in vobis, dicit Dominus Exerci-  
tuum, & munus non suscipiam de manu  
vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad oc-  
casum magnum est nomen meum in  
gentibus, & in omni loco sacrificatur, &  
offertur nomini meo oblatio munda.  
**Suffragantes** huic 16. citaverunt Patres:  
Irenæum lib. 4. contra hæref. c. 32. Augu-  
stinum contra adversarios legis l. 1. c. 20.  
Ambrosium, Chrysostomum, & Athana-  
sium. Illterius 17. progressi sunt, & pro-  
bare voluerunt Oblationem hanc ex ce-  
lebratione Cœnæ primæ, ubi Christus Pa-  
tri seipsum sub speciebus Panis & Vini  
obtulerit, testimonio etiam Davidis (1)  
Ps. 110. Christum appellantis Sacerdotem  
secundūm ordinem Melchisedech, mu-  
nire. Item (2) Patrum Cypriani l. 2. Ep. 3.  
Arnobii, Damasceni, & aliorum. Coronis  
loco 18. Celebrationem seu ritum hu-  
jus sacrificii subjunixerunt, qui fiant, nūc  
laudes Dei, nunc fideles populi preces,  
nunc gratiarum actiones, nunc scriptu-  
rarum lectiones subinde admiscendo.  
**Atq;** sic hanc missæ doctrinā finiverunt.

Falso

Falso i. autem hæc Missæ Doctrina u-  
titur presupposito: Omnibus sc. gentibus  
naturâ, & quidē ex divino instinctu, per-  
sasum semper fuisse, Deum placandum  
esse sacrificiis, cùm primi nostri Paren-  
tes morem sacrificandi non humanâ c-  
pinione excogitârint, sed à Deo acce-  
perint, alias Abelis sacrificium, ut electi-  
tius cultus, non placuisset Deo. Matth. 15.  
Col. 2. contra Hebr. ii. Morem 2. quod  
attinet Ethnicorum sacrificandi, eundem  
illi à Patriarchis imitatatione (non instin-  
ctu divino) didicerunt. Nihil etiam & 3.  
quod dicunt, sacrificium Missæ tantum  
in memoriam passionis Christi offerri,  
inque applicationem fide fructus unius  
illius sacrificii Christi in cruce peracti,  
cum tamen infra (sub titulo de Ceremo-  
niis & usu Sacramentorum) totum Ca-  
nonem Missæ approbent, non ignoran-  
tes, sacrificium Missæ in Canone appel-  
lari sacrificium propitiatorium. Conc.  
Trid. Sess. 6. Can. 3. Malè etiam infe-  
runt 4. ex sacrificiis Veteris Test. quamli-  
bet Legem debere etiam propria sua ha-  
bere sacrificia, & per consequens etiam

Novum Testamentum : Idque non esse  
unicum illud sacrificium Christi in cru-  
ce peractum, sed duo cruentum & in-  
cruentum. Hoc ab ipso Christo Patri esse  
præstitum, de quo tamen omni nec apex  
quidem, tūm in verbis Institutionis, tūm  
in universâ scripturâ exstat. A page etiam  
5. istam abominandam divulsionem uni-  
cæ Institutionis Christi, in duas diversissi-  
mas species, alteram, alimentum animæ;  
alteram, Sacrificium, quia horribilis de-  
pravatio est Verborum Christi. Perpe-  
ram quoque allegarunt 6. Exemplum  
Melchisedechi, pro sacrificio incruento,  
offerentis (juxta illos) Deo panem & vi-  
num, cum Melchisedech protulerit (non  
obtulerit) Patriachæ Abrahamo (non  
Deo) ejusque comitibus à pugnâ rede-  
untibus, fessis & lassis, panem & vinū,  
pro ipsis reficiendis. Gen. 14. & benedi-  
xerit. Quod autem 7. Christus Psal. 110.  
vocatur Sacerdos æternus, secundum or-  
dinem Melchisedech, Ebr. 7. Elementa  
comparationis constituit in (1) eo, quod  
vocetur Rex Justitiæ, (2) Rex pacis, item  
quod (3) Melchisedech in Scripturâ di-  
catur

catur sine Patre, sine Matre & sine Genealogiâ, neque initium dierum neque finem habens, nam & Christus quâ divinitatem ἀμήτωρ, quâ humanitatē ἀπάτωρ, non habens initium dierum, non habens initium vitæ. Fucus etiam 8. Interimisticus est, virtutem passionis Christi in cruce applicari nobis per sacrificium Missæ, cùm hoc fide solâ fiat in Christum. Joh. 3. Deniq; 9. Quoad Patres. Eos existimamus nihil aliud intellexisse (1) per oblationem, quam Celebrationem Cœnæ, in quâ fit commemorationis oblationis Christi in cruce; vocabulo oblationis per abusum ex Veteri Testamento translato. Cæteris autem (2) opponimus (1) Institutionem Cœnæ, (2) Descriptionem & (3) Scripta Apostolorum, de quibus videatur Locus de Cœna, & Missâ in Specie.

*XXIII. De Memoriâ Sanctorum, in altaris  
Sacrificio fieri consuetâ, & de eorum Inter-  
cessione inibi expedita, & obiter, de San-  
ctorum Invocatione.*

Proposuerunt porrò Interimistæ Memoriam Sanctorum, quam i. fieri dixerunt in hoc Sacramento, & gratias agi Deo pro donis in ipsis collatis, quâ de re allega-

allegarunt & patres, Dionysium Areopagitam, Cyprianum & Augustinum. Nec solum venerari eos Sanctos, sed & 2. eorum precibus & meritis in omnibus divinæ protectionis auxilio muniri, postulare. Idq; 3. eò, qui nulli dubitent Sanctos salutem nostram appetere, & malis nostris condolere, ideoq; pro necessitatibus nostris apud Patrem, per Christum interpellare. Quod confirmarunt 4. Exemplo Oniae & Jeremiæ 2. Macc. Et Angeli, pro civitatibus Juda interpellantis Zach. 1. Atque hac fide 5. æquè ac piorum viventium, Sanctorum preces expectare, ut pro nobis orent, quippe quod tales postulationes Deus facile vel per Angelos, vel aliâ viâ ad Sanctos possit curare. Distinguendum tamen 6, esse inter Merita Christi, & Apostolorum, cum istis toti mundo reconciliatio promerita sit; hæc autē ex Dei misericordiâ & Christi gratiâ, non solum ad salutē conducāt, sed etiam nobis ad protectionem & gratiæ divinæ impetrationem prosint. Sicq; 7. defuncti Abrahams merita filio suo Isaac profuisse, & Jacobum nepotes suos nomen

nomen suum & patrum suorum invocari edocuisse Gen. 48. Quò etiam 8. retulerunt Exemplum Posteriatis Davidis, sàpè propter Davidem à Deo indulgentiam impetrantis. 1.Reg.12. 2.Reg.19. Esa. 37. Ezech. 14.

Reponimus: Quæstionem solùm hanc versari 1. hoc in cardine: (1) An Sancti in specie nostras miserias nôrint? (2) Et an sint eam ob causam invocâdi, ut pro nobis intercedant apud Deum? Et (3) An ipsorum meritis nos apud Deū juvemur? Quoad istud, negamus, tûm ex Es.64. Tu Pater noster es &c. Tum ex omni destituto testimonio. Quoad illud, requirimus mandatum, promissionem, & exemplū. Quoad hoc, omnino falso pronunciamus, cum Sancti nec quicquam sibi ipsis proineruerint, ex Eph. 2. Nec quicquam 2. juvant Interimistas allata exempla & testimonia, quia quid ad ea sit respondentium, Vide in Loco de Invocatione.

#### *XXIV. De Memoriâ Defunctorū in Christo.*

Fieri etiam in sacrificio Missæ docuerunt: 1. Memoriam defunctorum, eorumq; prius Sanctorum, postea etiam re-

liquorum Christianorum piè demortuorum. Illorum 2. quidem, ut orent ipsi pro nobis: Horum, ut oremus nos pro ipsis. Hoc autem 3. exigere ipsam communionem nostram spiritualem, etiam cum defunctis. Accedere 4. Præceptum Jac. 5. Ita ut 5. hoc non faciens magnæ crudelitatis & detestandæ temeritatis incusetur; Quia sit Apostolica 6. traditio, & testimoniis 7. Patrum ubertim confirmata, ut Dionysii Areopagitæ, Chrysostomi, Damasceni, Augustini. Reliquas 7. Preces in Missâ pro Eucharistiam, sive sacramentaliter dignè, sive spiritualiter participantibus, insumi.

Pro defunctis orandum esse, ex nullo in Canonicâ 1. Scripturâ extante mandato, vel exemplo, vel promissio probabitur. Certum etiam est 2. omnem in fide discedentem iam inter beatos agere, cùm Purgatorium scripture nesciat. Omnem verò absq; fide in Christum discedentem, jam damnatum esse, atq; cum Epulone in inferno cruciari. Allegata autē 3. Dionisii Areopagitæ scripta sunt fictitia & supposititia. Neque etiam opinionem 4. Patrum

trum quorundam, ex communi errore  
& ratione humanâ cōceptam, sectamur.

*XXV. De Communione cum Sacrificio jun-  
genda.*

**D**E hac docuerunt, ex more Ecclesiæ Canonibus sancitum esse, ut durante illius sacrificii oblatione non solum sacrificans ipse, sed & Diaconi & reliqui Ecclesiæ ministri, perceptionis corporis & sanguinis Christi socios se præstet. Imò & omnes Christiani, explorati prius & absoluti, sacram communionē frequentent.

Ab hoc sacrificio incruento, cum sit Institutioni Cœnæ contrarium, & in Christum contumeliosum, meritò nobis cavemus, ne alienorum peccatorum principes reddamur.

*XXVI. De Ceremoniis & Usu Sacramentorum.*

**S**Tatuerunt hīc 1. Ceremonias veteres, Exorcismum sc. Ab renunciationem, Professionem fidei, Chrisma & cetera, ad efficaciam Sacramenti adumbrandam & significandam pertinentia, retinenda esse: Nec quicquam 2. mutandum in iis videri. In civitatibus porrò 3. in singulis Ecclesiis ad minimum duas missas debere

celebrari; Alteram matutinam, alteram celebriorem circa octavam antemeridianam. In pagis autem singulis Dominicis & festis diebus unam. Ad hoc requiri 4. sedulas hortationes ad frequentandā Missam, certas item meditationes, & verius explicationem. Canonis pariter 5. in quo nihil sit mutandum, succinctam & dilucidam interpretationem. Ad hæc 6. Agendas veteres esse adhibēdas, omisso tamen superstitione; Altaria tamē, vestes Sacerdotum, vasa Ecclesiæ, vexilla, item cruces, candelas, imagines, retinēdas esse in Ecclesiâ, sed ut monumenta, non cultus latriæ. Observationem 7. horarū Canonistarum & Psalmodiæ sedulò esse attendendam. Quoad de Sanctis 8. adjecta, ubi modum excedant, corrigenda videri. Nec abrogandas esse 9. vigilias & exequias mortuorū. Nec non Festos 10. dies precepiuos, & inter hos etiam Corporis Christi, sanctorum Apostolorum, & cuiuscunque Ecclesiæ Patronorum, retinendas, ut in iisdem Deus in Sanctis honoretur, nos eos imitemur, & eorum meritis & orationibus adjuvemur, Observandum etiam esse

esse 11. Diem rogationum ante Ascensionem Christi, Litaniam in die S. Mariæ, & alias processiones, & certis festis debitas solemnitates. Aquam quoque Baptismalem in Vigiliâ Paschæ & Pentecostes esse præparandam solenni benedictione. Attendendā 12. esse abstinentiā carnium, ferriâ sextâ & Sabbatho, eamq; ad domandā carnem, & magis idoneos ad cultum divinum reddendum, non verò ad superstitionem. Quò etiam Jejunia spectent, quæ conditionaliter tamen servāda. Minimè verò improbandā esse 13. benedictionem earum rerum, quæ exorcismis & orationibus ad usum hominum fiat. Tamen operationes istas non rebus ipsis, sed divinæ virtuti esse tribuendas, neq; ad superstitionem & incantationem transferendas. Cæterum super conjugatos jam Ecclesiæ ministros 14. generalem concilii sententiam expectandā esse, et si melius esset in statu Cœlibatus vivere. Si similiter esse sentiendum 15. de usu Eucharistiæ sub utraq; specie. Interim tamē sub unâ specie utentes cæteros reprehendere non debere, nec se invicem perturbare. Et

quamvis 16. Sacramentū Eucharistiæ sub utraq; specie institutū sit, non tamen sentiendum esse, Christum in carne dividi, sed sub singulis speciebus integrum contineri. 17. Propter veram etiam præsentiam Corporis & Sangvinis Christi in Cœnâ, Christum meritò adorari debere. Sacramentum tandem 18. Eucharistiæ semel consecratum, semper Sacramentum corporis & sangvinis Christi manere, etiamsi diutius asservetur, donec sumatur. Atque sic tandem adducta 19. necessitate disciplinæ Cleri & Populi, ad tollenda ex Ecclesiâ scandala, adhortatione etiam coronidis loco additâ, de facili reformationis à Cæsare procurandæ susceptione, ultimā manum huic suo interimistico libro addiderunt.

Multæ hîc & variæ occurruint superstitiones, proinde operæ pretium est, ad singulas theses unum atq; alterum reponere. Quoad 1. quidem, retinemus nos institutionem baptismi à Christo acceptam, simulq; ut ceremoniam bonam & utilem, ab renunciationem & fidei promissionem, cetera autem ut non nefas-

cessaria & superstitiosa judicamus. Quoad 2. Rejectâ missâ etiam ejusdem ceremonias meritò rejicimus. Quoad 3. cerebram missæ celebrationem crebriorem inferre Dei offensionem. Quoad 4. Explanationem istam meris imposturis esse farcitam. Quoad 5. istâ nihil mutatione totam Missæ Pontificiæ abominationem approbari. Quoad 6. Agendis veteribus ingentem acervum superstitionum, & falsorum cultuū Ecclesiæ obtrudi. Quoad 7. in Psalmodiâ illâ multa idololatrica contineri, quod satis patet ex Missali libro, sub Hugone, Episcopo Constantiensi edito. Quoad 8. ad speciem eis descendendum fuisset, nec excessus perγò vide ri saltem carpendus. Quoad 9. Eas propter inclusum Missæ sacrificium meritò explodi. Quoad 10. concedi quidem pro libertate Christianâ celebrationem Festorum, sed non in honorem Sanctorūm, vel ad Idololatriam. Quoad 11. omnia illa idololatriam & superstitionem include re, & propterea meritò non attendi. Quoad 12. Destitui omni divino Manda to, & cum libertate Christianâ pugnare.

Quoad 13. pariter desiderari Mandatum  
& Exemplum, mundis item omnia esse  
munda. Vana itaq; esse, & effectus eorum  
nullâ experientiâ cōprobatos. Quoad 14.  
satis illucescere, eò Interimistas calculū  
addere concilio, forsan decreturo, Mini-  
strorum matrimonia dirimenda esse,  
contra 1.Tim.4. Quoad 15. & 16. Christum  
Cœnam unam (non duas diversas) sub u-  
traq; (non unâ) specie instituisse, cui ob-  
temperandum, 1.Cor.ii. & ideò non ad  
Concilii decisionem hīc fugiendū. Quę-  
rere præterea oportuisse Adversarios: An  
Christi institutio (sub utraq; specie) fer-  
vanda sit, nec ne? Non, an Corpus & San-  
gvis Christi in S. Cœna sint divisa, aut con-  
juncta? Quoad 17. Panem & Vinum extra  
legitimum usum non esse Sacramentū.  
Si itaq; (1) ante sumptionem adoraretur,  
tunc Panis & Vinum adoratur, & non  
Christus. Apostoli (2) non leguntur ado-  
rasse, sed edisse & bibisse. Proinde (3)  
quidem adoramus in Spiritu & veritate  
Joh. 4. Non verò in Pane & Vino. Id  
quod & pariter de 18. afferimus. 19.  
Quæ pro conclusione addunt, illa cum  
micā

micâ salis sunt approbanda , absolute enim, vel pro intentione sanguisugarum detorta, nil nisi abominanda spirant & redolent.

## DE FORMULA CON- CORDIÆ.

**T**empore publicati Interimistici Libri Wittebergenses & Lipsenses Theologi plus concesserant Papistis, quâm oportebat. Imò Philippus Melanchthon, defuncto Lutherò, inasserendâ carnis Christi Majestate non timidiusculus solùm apparebat, sed etiam manifestè cum Sacramentariis colludebat. Sectatores ejus, Crypto-Calviniani in Academiâ Lipsensi & Wittebergensi, ut suspecta redderetur Lutheri doctrina, Brentium & Illyricum de nescio quibus monstrosis dogmatibus incusabant, ac si vinum & panem essentialiter esse sanguinem & corpus Christi, & hæc ipsa ore corporaliter accipi, & idioma omnipresentiæ τὸ λόγον proprium, humanæ naturæ, tanquam in omnia loca extensæ, accidens factum esse docerent. His calumniis Wittebergensium traducebantur. Orthodoxi, ideoque Principes Evangelici Augustum Electorem monent, ut in doctrinam suorum

Theologorum inquireret, Wittebergenses tamen & Lipsenses ita responderunt, ut dum Lutheri doctrinam se unicè amplecti simularent, fucum Electori facerent, & cum alia se indigna committerent, tum duos Theologiæ Studiosos, Conr. Schlusselburgium, & Alb. Schirmerum, Orthodoxiam Lutheranam publicè afferentes, carceri primum traderent, deinde Wittebergâ excluderent. Præterea cum de necessitate bonorum operum ad salutem, deque συνεργίᾳ voluntatis in conversione hominis, & de adiaphoris monstruosas foverent opiniones, ex libro Interimistico hauſtas, & colloquium Altenburgense, ad dissidia istiusmodi amolienda adornatum, singulari astutiâ abrumperetur, Jacobus Andreæ, autoritate Julii Brunsvicensis, & Wilhelmi Landgravii, ut negotium totum, si posset, amico colloquio componeret, Augusto commendabatur. Sed tergiversationibus & versutiâ Wittebergensium, generalitate quâdam fallaci utentium, ludificabatur. Unde illi audacieores facti, jam non amplius per ambages in Cinglianorum castra commeabant, sed publico scripto sinceros Doctores aggrediuntur, D. Cracovii & nonnullorum aulicorum favore subnixi. Prodiit ergò scriptum fanaticum sub titulo Grundfest/ Stereomatis, cui Orthodoxi opponunt repetitam Confessionem, in quâ Stereomatis varia sophismata jugu-

jugulant. Sed illi, ad deterius prolapsi, ediderunt Catechismum Wittebergensem, ut hoc ipso Catechismum D. Lutheri exautorarent. Verum irrito conatu, opponentibus seminimorum Wigando, Hesshusio, Selneccero, Kirehnero, Cœlestino. Adversarii denuò emitunt Apologiam primò, in quo protestantur, nihil extare in Catechesi, quod non in scriptis Philippi contineatur. Mox scriptum Germanicum subjiciunt, sed sine nomine, cui titulus: Christianæ quæstiones confessione ad dextram Dei, & S. Cœnâ. In eo disertè profitebantur, Christum post ascensionem suam non esse amplius in terris, nec humanitati ejus esse communicatam omnipotentiam. Opponit alias quæstiones Selneccerus. Tandem Elector, conventu Dresdensi Theologis suis indicto, jussit, ut suam de Cœnâ Domini ederent confessionem. Sed & nunc pro confessione edebatur Cothurnus, perque cuniculos rectè etiam sentientes ad subscriptionem pertrahebantur. Emittitur etiam à Theologis Wittebergensibus Exege sis controversiæ de Cœnâ, typis Vogelianis, (qui post ab Electore Lipsiâ exactus est) dogmata Calviniana apertè inculcans. Refutaurunt eam Wigandus & Hesshusius. Indixit igitur Augustus Elector alium conventum Torgensem, & articulis affirmativis simul & negativis propositis, omnes Categoricè ad omnes

mnes responderi jussit. Articuli illi Torgenses etiam si ab initio etiam oculatissimis satis probi viderentur, latuit tamen nonnullibi aliquid præstigiarum Calvinianarum. Subscripserunt autem dictis articulis omnes, ipsi etiam Pseudo-Lutherani: Wittebergenses tamen recusabant. Ideoque non tam propter Calvinianismum, quam clanculariam Calvinismi incrustationem & perfidiam Lipsiensi custodię mancipantur. Subscribunt ergo & ipsi, manu quidem, sed corde longè alia tegentes. Dimissi tandem sunt Widebramus, Cruciger, Pezelius, Mullerus surrogatis Doctoribus orthodoxis. Caspar Peucerus, D. Cracovius, & Stoesselius, carceri inclusi sunt. Wolff. Crellius & Joh. Hermannus proscribebantur. Alii suā sponte discedebant, & sic insignis mutatio in Academiā Leucoreā contigit. D. Cracovius sibi ipsi vitam cultro abrumpit in carcere. Stoesselius in desperatione vitam finit. Fryhubius Calvinista D. & Professor Lipsensis subscriptionem suam revocabat, sed Torgam aecersitus, & à Selneccero heterodoxias convictus, damnat errores. Remittitur ergo ad suam professionem, sed rediens ad vomitum, territorio Electoris exigitur. Et nunc tandem de Concordię ineundę opere saluberrima consilia tractare cepit Elector, & novum conventum Liechtenbergē instituit, ut de mediis consultaretur, quibus Calvinianorum sophis-

ma præcluderetur, & unanimis consensio inter Orthodoxos stabiliretur. Consuluerunt Theologi, sanctâ privatarum injuriarum à μυησίᾳ sancita, Corpus doctrinæ Philipicum non esse pro canone habendum, sed Theologos plures, ad hoc negotium evocatos, præsentibus Principibus, de controversiis judicium ferre debere. Accessit Georgii Ernesti, Principis Hennebergensis dexteritas, qui non saltem Electori Augusto opus illud ἐγρεπικὸν de concordiâ ineundâ fvasit, sed & in nuptiis ducis Wurtembergici multis Principibus persuasit. Illi igitur scriptum concordię ineundę accommodatissimum per Theologos Wurtembergicos, M. Balt. Bidenbachium, & D. Lucam Osiandrum in thesi & antithesi adorari curarunt, idque ad Electorem Saxoniæ transmiserunt. Qui denuò Torgæ in conventu Theologorum, eum Saxoniorum, tūm aliarum Ecclesiarum, inter quos primi Jac. Andreę, D. Chemnitius, D. Selneccerus, D. Musculus, Cornerus, Chyträus, Morlinus, P. Crellius, Mirus, Listhenius, hoc scriptum inspiciendum communicat. Incidit hoc in annum 1570. Approbant illi quidem, sed cum nimis concisum & breviusculum, quàm negotii gravitas exigeret, videretur, novum quoddam copiosum & admodum nervosum adornarunt scriptum, in quo controversię fusius explicatę & diductę sunt. Hoc primò DECLARA-

RATIO controversorum articulorum vocabatur, post ei augustus ille FORMULÆ CONCORDIÆ titulus inditus est. Adversus quam formulam et si non saltem ab hereticis, sed & iis, de quorum religione sincerâ non satis constabat, iniquiores ferebantur censuræ, tandem tamen robur naëta omnibus hereticis, laus Deo fudes est in oculis. Nam Ejector J. Andree, A. Musculum, C. Cornerum, Nic. Selneccerum, M. Chemnitium, & D. Chytreum in Bergensi Cœnobio (quod incidit in annum 1577. Unde & per convitum Patres Bergenses à Calvinianis passim audiunt) convocavit, per quos revisione & correctione, seu emendatione libri Torgensis (sic enim Formula Concordiæ etiam vocabatur) ad censuras undique petitas institutâ salutari operi omnes ii subscripti serunt, qui sanâ religione frui exoptabant. Et quidem non modò ultra 8000. Theologorum, sed & ipsi Electores, Principes, Comites, Barones, & civitates Imperiales numero 83. nomen suum adjecerunt, & prodiit in lucem Anno 1580. Si verò nonnulli subscribere recusarunt, politicas causas prætexentes, suâ tamen recusatione ipsum librum Concordiæ haud improbarunt. Si quoque nonnulli adversariorum formulam hanc salutarem, quâ hactenus stetit & stabit, volente Deo, Lutheranorum concordia, virulentis allatrarunt Icriptis, tantâ tamen nostrorum

rum animositate excepti sunt, ut si conferas  
 Apologias, à Kirchnero, Selneccero, Sclussel-  
 burgio & Chemnitio adornatas, imò si vel u-  
 nicum Hospiniani & D. Hutteri de hoc ne-  
 gotio non pigeat conflictum intueri, quām  
 facile sit veritati, de mendaciis triumphum  
 agere, manifesto conspicies: Summa For-  
 mulę Concordię breviter sic habet: Post Proœ-  
 miūm, in quo sancitur, solam S. Scripturam  
 esse fidei nostrę normam, cui subordinari pos-  
 sint piorum Conciliorum & patrum Symbo-  
 la ac confessiones, Confitem Augstana, Ar-  
 ticuli Smalcaldici, Major & Minor Cate-  
 chesis B. Lutheri, docetur Cap. (1) Peccatum  
 originis non esse ipsam hominis substantiam,  
 sed tantūm accidens inherens humanę nature.  
 (2) An & quasnam vires post lapsum primo-  
 rum parentum non renatus ex seipso habeat,  
 & quidem in rebus spiritu alibus: num pro-  
 priis viribus possit sese ad gratiam Dei appli-  
 care, & an divinam gratiam apprehendere va-  
 leat? (3) Secundum quam naturam Christus sit  
 nostra justitia, an secundūm humanam tan-  
 tūm, aut an secundūm divinam, an verò se-  
 cundum utramq;? (4) An opera bona sint ne-  
 cessaria ad salutem; & an perniciosa? (5) An  
 Evangelium sit concio pœnitentiæ; an verò  
 concio divinæ gratiæ? (6) Quodnam sit Legis  
 officium, & quotplex? (7) An in S. Cœnâ ve-  
 rum corpus & verus sanguis Christi verè &  
 sub

substantialiter sint præsentia, atque cum Panne & Vino distribuantur, & ore sumantur, tam à dignis, quam indignis? (8) An inter diuinam & humanam naturam in Christo, propter unionem personalem, vera & realis facta sit idiomatum communicatio? (9) An Christus reipsa, secundum Corpus & Animam, ad inferos descenderit? (10) An adiaphora, h. e. ritus indifferentes, salvâ conscientiâ, sine opinione cultus & meriti, tolerari possint? (11) Quænam sit vera & orthodoxa sententia de predestinatione? (12) Subjunguntur dogmata hereticorum, qui dissentunt ab August. Confess. Et hie filum hujus historię abrumpimus.

Versus memoriales continentes capita.


F. C.


**S**cripturam fidei Normam Concordia sancit,  
Peccatum, Arbitrium, Justitiamq; docet.  
Post bonum Opus, Legem, legisque didactica,  
Cænam,

Christum, descensum ad Tartara, Res medias.  
Tandem declarans Æterna Elec̄tio quid sit,  
Subjicit Hæreſeon dogmata falsa simul,

FINIS.







~~309. VIII. 79.~~

Rp. Teologia

KANSALLISKIRJASTO-KANSALLISKOKOELMA



120 102 0739

mf. X

